VXORE DIMISSA PROPTER fornicationem aliam non *licet superinducere.*

TERTIA THESIS IOANNIS HOVSONI

Inceptoris in Sacra Theologia, proposita & disputata in *Vesperijs Oxonij.*

1602.

OXONIÆ,
Excudebat Iosephus Barnesius.
An. Dom. 1602.

BIBLIOTHECA·POLMANA

NON me latet quã infenſo et inimico animo ſcolaſticas diſputationes hodierno die ingrediuntur Theologi: non ſum neſcius ipſam aliquãdo pietatis propoſitionẽ in tranſgreſſionis vitiũ verti, (quod *Gregorius* magnus cõqueſtus eſt) dum intentionem bonã nequaquam locutio cauta & cogitata ſubſequitur: video multos ſumpſiſſe quod accuſarent, non inveniſſe quod refellerent: conqueror multa gravitèr & ſeriò exagitata, quæ à nemine poſita aut cogitata, ex conſequentibus emergere volunt: doleo optima à fortibus dici, quæ infirmi idcircò dijudicant quia ignorãt: deploro inſitam quorundã à naturâ, aut certè voluntariè aſſumptã cordis ſuperbiam, quã πληροφορίαν, & certitndinem in doctrinâ vocant, qua plerunq; evenit vt ſententia illa, quã privatim cõceperint, & in ſcripturas intulerint, pro ſuo libitu

Moral. lib. 8 cap. 9.

rigidi atq; immoti consistant: deniq; nō possum illos non execrari, qui mo em illū antiquum referunt Elihu cum Iobo disputantis, qui (vt Gregorio placet) dū cū austeritate studuit increpare quæ dicta sūt, mētiens addit quæ dicta nō sunt.

Moral. 23. cap 16.

Equidē mihi in animo non est, (absit enim vt in quo alios dijudicem, meipsum condemnem) in cuiusquam contumeliam rem controversam, et plenā dissensionis inter doctissimos, minus cādidè tractare et contemplari; aut veritatis inquisitionē, in maledictionis culpam detorquere; aut sumere mihi quē accusem aut refellam; sed positam a patribus doctrinam, ab ecclesia confirmatam, à neotericis non sine probabili fortassis rationum specie reprobatam, diluciduis, vnico auxiliari adducto argumēto ex ipsis scripturis explicare.

Quod si παράδοξον, et præter opinionem communem receptum vobis esse videbitur, non eo nomine reijciendum aut aspernandum est, quia non abhibeatur ad nouum aliquod dogma importan-

candum, aut nascētem opinionem confirmandam: sed acri potius iudicio perpendēdum est quòd subdifficilem quæstionem, et jam diu inter doctissimos ex agitatam, si verum sit, persoluet, sin minus, partes quas tueor nec debilitabit nec affliget: suis, et antiquis viribus se sustentabit quæstio et quæcūq, contraria et aduersātia tela repellet, et fugabit.

Quapropter duas priores quæstiones tāquam minus cōtrouersas sicco, quod aiunt pede præteribo, et totum id quod concessum erit temporis, in vltima discutiendā consumam, præsertim cum ea si probè fuerit cognita et prespecta, magno futura sit et ecclesiæ et reip: emolumento.

In principio cum deus Adamo, quē solum viuere non oportebat, vxorē fabricaret, quò maiori inter se charitatis et amoris vinculo colligarentur, vxorē nec è nihilo nec è terrā, nec ex aliquo simplici elemēto, aut alio cōposito corpore formabat, sed eā cōflabat ex Adamo solo, vt sic esset os ex ossibus, et caro

ex carne eius illiq; tam tenacitèr adhæ-reret, quam ſibi prius illud os inhęſerat; præſertìm cum is, qui primùm ex vno duos compoſuerat, jam rurſus duos in vnum confecerit.

Hoc autem matrimonij vmculum, hæc conſociatio, non Adamum tãtum deuinxit, verum ad omnes illius poſteros etiam pertinuit, et in ius naturale ſtatìm paruaſit cũ apud ſingulos obtinere, non vt aliquid conſtitutione humanâ impoſitum, ſed vt quiddam naturæ inſtinctu, edoctum: hinc verò eſt quod in lege Moſaica non neceſſe fuit ſingulare aliquod mandatũ præcipi aut præſcribi, cum lex et conditio ipſius naturæ hoc vinculum firmum eſſe et inſolubile prius impreſſerat et inculcarat.

Verumenimuerò cum Moſes ab hac communi lege naturæ, propter duritiam cordium, Iudæis diſpenſationem indulſerat, vt illis, liceret, (etiam reclamante matrimonij vinculo, ſimpliciter, et intimè in ſua natura inſolubili,)

quo-

quodam in casu vxores demittere, et alias superinducere, hinc tandem varijs concupiscentijs obscurata lege naturæ suborta est dubitatio, vtrum hoc vinculum esset solubile necne? et vtrum hæc dispensatio esset tantum toleratio quædam Iudæis peculiaritèr et vnicè concessa, an potius lex naturæ apud omnes insita et innata:

Quam quidem litem componendam scribæ et Pharisæi seruatori nostro proponebant, non tam proficiendi spe, quam ipsum tentandi libidine, qui ipse Matthæi decimo nono, explicatè definit et determinat diuortium esse dispẽsationẽ Iudæis propter eorum infirmitates permissam, cum tamen primitùs sic non esset in lege naturæ, quæ ijsdem terminis et cancellis quibus ipsa natura circumscribi debet: hac enim vir adhæreat vxori, et sint duo in carne vnâ, et sint non duo, sed vna caro, et deus cõ. iunxit, et homo separare non debet: separationem igitur inducere, et ducere aliam, simplicitèr nulla interpositâ cõ-

ditione adulterium nũcupat, legem ipsam naturæ, non expressam satis, sed Judaicis erroribus impliciram & inuoluam, apud Marcum & Lucan explicans, *Quicunq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum, & alij nupserit mœchatur.*

Marc.10. vers.11. Luk.16. verse 18.

Hanc porrò legem diuinam ad quam non docti, sed facti & efformati sumus, & quam etiam seruator noster ità demum redintegrauit, & corroborauit Apostolus Paulus eadem prorsus ratione Corinthijs innuit & iniungit sub nomine & forma legis, quam quidem legem, naturalem & nobis medullitus insculptam, necesse est ut judicemus: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit, quod si dormivit vir eius, liberata est à lege, cui autem vult nubat in domino.* Proinde hanc legem idem Apostolus, ad Romanos septimo, legem viri nominat, quæ mulierem astringit & obligat non solùm quamdiu una cum viro, volun-

1 Cor.7.39

Rom.7.1.

tate

tate & animo conſpirat, verum etiam quam diu ſpiritum ipſum & vitam ducit. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt lege, ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri:* quæ verba Apoſtoli toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viua ſunt, ſana ſunt, plana ſunt, vt inquit Auguſtinus. Aug de adul. con. lib. 2. cap. 4.

Veruntamen lis quædam & diſceptatio pendet adhuc inter recentiores Theologos, vtrum hæc diſpenſatio Judæis conceſſa, obtineret in omnibus omninò cauſis, an in adulterio tantùm.

Sunt qui exiſtimant adulterium in natura ſua ſic quaſi ex diametro opponi bono matrimonij, vt ex eo iure naturæ ſubſtantia matrimonij & vinculum foret actu ſolutum, & non tantum ſolubile ex pœnâ mortis: & ſic volunt cum ante legem Moſis, lege naturæ, tum in lege Moſis lege ſcriptâ, tum poſt illam abrogatam, lege gratiæ et Evangelij, potuiſſe et poſſe homi-

nem propter adulterium vxorem dimittere,& aliam ducere: & arbitrantur prætereà, per indulgentiam Moſis Judæis licuiſſe illud idem præſtare διὰ πάσης αἰτίας id eſt quacunq́, de cauſa.

Quod ſanè eorum fundamentum,ex communi quodam errore conflatum, cũ & multis impoſuerit, & pro veritate diutiùs invaluerit, quid mirum ſi multi docti & illuſtres viri, ad ſtipitem hunc offenderint,iudicantes vinculũ hoc per adulterium diſſolui poſſe,& proinde iuſtum & æquum eſſe aliam ſuperducere, cum priores nuptiæ diſrumpantur, & excindantur.

Alij autem ſunt qui opinantur adulterium,actum quidẽ & vſum matrimonij impedire,& corrumpere,nexũ verò matrimonij fuiſſe, & eſſe inſolubilẽ, tũ in lege naturæ, tum etiam in lege Moſaicâ,tũ in lege Evangelicâ, niſi in morte coniugis, aut communi per legẽ naturæ; aut violentâ per legem adulterij, vbi illa lex obtineret: & arbitrãtur diſpenſationem illam conceſſam Judæis

propter cordium duritiã, qua liceret ijs vxores dimittere, & alias ſuperducere, in cauſa adulterij tantum fuiſſe, quę etiam diſpenſatio per aduentum Chriſti ſublata foret, & antiquata; & idcircò iam nullo modo licere vxorẽ dimittere, & ea viuente aliam ducere.

Huiuſmodi autem argumento nitũtur, Diuortium quod concedebatur Iudæis propter duritiam cordium, (vt videlicet vxores dimitterent & alias ducerent) ſublatum eſt per aduentũ chriſti, ſed illud diuortium fuit ſolùm propter adulterium, ergo diuortiũ propter adulterium ſublatum eſt per aduentum Chriſti, & proinde jã nõ licet, ne propter adulterium quidẽ, vxores dimittere & alias ducere.

Maior noſtra propoſitio vel luce meridianà clarior exiſtit, nempe diſpenſationẽ hanc Judæis ſolùm fuiſſe propriã & germanã, & eam porrò, vnà cum reliquis Moſaicis diſpenſationibus aduẽtu Chriſti labefactatam & fractam funditus concidiſſe.

Verùm

Verùm in minore aliqua difficultas ſubeſſe iudicetur, cum ea quāplurimis forſan paradoxon, & præter opinionem omnium inducta videatur: Quòd ſcilicet diſpenſatio diuortij Judæis tantùm permiſſa eſt, & id in adulterio ſolo: Quā quidē propoſitionē dum ex ſacris literis cōfirmavero, vos oro & obteſtor, vt mihi otam ſoluenti benè ominari velitis, & ſolitam veſtram benevolentiā & attentionem concedere, ſublato omni, opinionis prius ſuſceptæ, & à quibuſdam non ſine aliqua veritatis ſpecie & ſimilitudine defenſitatæ, præiudicio.

Vis enim & veritas huius doctrinæ, nec ex authoritate humanâ exprimitur, nec è patribus eccleſiæ primitivæ, nec ex aliquo ſubnovitio ſcriptore ducitur, ſed ex ipſiſſima litera legis, Deuteronomij, 24. decerpitur, vbi diſpenſatio iſta Judæis indulta eſt. illic enim ſic ſcriptum reperiemus: *ſi acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam ſœditatem, ſcribet libellum repu-*

ut. 24. 1.7.

dij, & quæ ſequuntur.

Vbi ex litera legis neceſſe eſt vt intelligatur vel adulteriũ, vel immũditia aliqua carnalis, eſſe cauſa diuortij: dubitari enim nõ poteſt, quin Deus euidẽtẽ aliquã cauſam iſtius diſpẽſationis proponeret, & illã nec vt indiuiduũ vagũ, vel aliquid indeterminatum relinqueret, ne populus ex imperfectione legis, in aliquos errores & adulteria incideret, & culpam in legem & legiſlatorem conijceret: adulterium autem eſſe manifeſtam illam & vnicam cauſam expreſſam in verbo legis, ex legis litera luculentèr conſtat: neq; verò expectandum eſt, vt ipſum verbum fornicationis, quo utitur ſeruator noſter in Euangelio, reperiatur in litera legis Moſaicę, cum in Moſe vix & ne vix quidem vſurpetur, ad corporalem aliquam labem & immunditiam denotandam, ſed tantum ad ſpiritualem, id eſt, idololatriam, vel ſaltem doctrinam ſignificandam: hoc autem peccatum explicat Moſes per verba, nuditatis fœditatis,

ditatis, turpitudinis, pollutionis, pra-
vitatis, stultitiæ, prænauicationis, & si-
milia.

Vtitur vero in hac lege verbo Heru-
at, quod nuditatem Hebræi vocant, ab
Harah, quod significat nudare & disco-
operire, quę Hebraica locutio aut adul-
terium aut carnalē impuritatē denotat,
vt videre licet passim in scripturis, & in
obseruationibus omnium interpretum.

Proindè septuaginta legūt ὅτι εὗρηκεν ἐν αὐτῇ ἀσχῆμον πρᾶγμα, opus fædum,
quo verbo Apostolus Paulus vtitur 1.
.om.1.27. ad Romanos 10. ver. 27. ad spurcitiem
et impuritatem exprimēdam, ἄρσενες ἐν
ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι: simili-
Cor. 12. tèr etiam 1. ad Corinthios ca. 72. ver. 73.
1.23. *Inhonesta nostra honestatem abundatio-
nem habent*, τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην
περισσοτέραν ἔχει: eadem insuper phrasis
Cor.7.36 eodem planè sensu vsurpatur 1. ad Co-
oc.26. rinthios 7. Apocalypseos 16. ver. 15.
.15.

Castalion legit cum aliquid in ea of-
fenderit inhonestū: Interpretes ex sep-
tuagintá, Quoniam inuenit in eâ rem
fœdam:

fædam: Vetus interpres, si non inuenit gratiam propter aliquam fæditatē, id est secundum glossam interlinearem propter peccatum quod cognoscit in eâ: hoc autem vocabulo fæditatis vetus interpres frequentius vtitur ad carnalem impuritatem denotādam, vt Geneseos 75. 34. vers. dicitur, *Quòd Sichem vi Dinam opprimendo fædam rem operatus esset in Israel*; eadem etiam locutio vsurpatur 2. Samuelis 16. 21. et Levitici 15. 3. 18. ver. 19.

Gen. 34. 7.

2. Sam. 16. 21.

Lev. 15. 3. 18. ver. 19.

Tremelius vero et Iunius sic habēt, si deprehenderit in ea turpem rem aliquam, & ad marginem apponunt, nuditatem rei, pro Hebraismo: vbi subindicant, quod hæc vocabula inter se sensu cōueniunt, cum idem verbum quod hic rem turpem nuncupant, ijdem ipsi multoties nuditatem reddunt, *Lev.* 18. vt, nuditatem nurus tuę ne retegito, nuditatem fratriæ tuæ ne retegito, quibus in locis per nuditatem, carnalem immunditiam intelligunt, vt consentiens est omnium opinio.

Cum

Cum igitur in originali textu, Deuteronomij 24. & 2. dispensatio dimittendi vxorem et aliam ducendi sit ob hanc solũ causam, si inuenerit in eâ nuditatem rei; (quod verbum significat eiusmodi immunditiam, quæ sit adulterium aut incestus) cum ἀσχημοσύνη, qua voce vtũtur septuaginta, apud Paulum idem peccatum denotet: deniq; cum fæditas, turpitudo, inhonestas (quæ vocabula alij interpretes vsurpãt) eandem planè immunditiem nobis præ oculis ponant, hinc tãdem colligimus literam Mosaicam, diuortium et secundas nuptias propter adulterium solum apud Iudæos instituisse.

Veruntamen huic literæ textus tam dilucidæ, tam nitiuæ, vt qui ad eam impingit ad solem ipsum caligare et cæcutire videatur, addo vlterius interpretationem Pauli Episcopi Burgensis, natu quidẽ et institutione Iudæi, et in omni doctrinâ Rabbinorum excultissimi, fide tamen et conuersione christiani Episcopi. Idem hic in suis additionibus super

rgen. in
dit ad Ly
o; super
it. 24.

per Lyrã in Deuteronomij, 24. cõcludit quòd nullo modo licebat Iudæo secundum hanc legem repudiare vxorem nisi propter eiusmodi turpitudinem quæ fornicationem includit: hanc quoq; esse opinionem Hebræorũ omnium, Abulensis fatetur: quẽadmodũ igitur Origenes Adimãtius ætatis snæ doctorũ omnium primus et facilè princeps, cum Esaiam Prophetam interpretaretur, minimè dedecori sibi esse duxit ad Hebræum quendam Rabbinum confugere, vt ab eo disceret, vbi olim vrbs Ariel fuisset, illiusq, iudicium sequutus, ea reuocaret quæ antea scripserat: sic etiam pari ratione nobis nec indignũ nec indecorum videatur in sententiam huius conuersi Iudæi tanquam pedarij senatores ire, et illius iudicio potiùs adhærescere, quam aliorum opiniones mordicùs tueri, qui alijs fortasse scientijs maximè et florent, et floruerunt: Præsertim cum vis et natura Hebrææ vocis sit dijudicanda, et dignoscenda lex, illi genti tantùm accommodata:

quam-

quamuis enim Sanctus Origenes, inter chriſtianos peritiſſimus eſſet, et omn doctrinarum genere florentiſſimus, in Iudaica tamen hiſtoriâ, Hebræo in re ſua verſatiſſimo, et maximè exercitato cedere voluit, quem omnibus alijs in diſciplinis, multis (quod aiunt) Paraſangis longè ſuperabat.

Verum miſſam facio horum autoritatem, quamuis magni apud me ponderis et momenti, et nihil hinc accipiam, nihil ſumam ad meas partes corroborandas, ſi robur et firmitatem ſententiæ meæ, ſeruatoris noſtri teſtimonio planius et apertius nõ cõfirmauero. Cum enim, Matthæi. 5. conaretur et contenderet ſeruator noſter populo Iudaico perſuadere, vt mandatis legis Moſaicæ, debitâ obſeruantiâ, iuſtoq; obſequio obediret et obtemperaret, verum intellectum ipſorum declarando, et errores Iudæorum circa legem ortos excludẽdo, interpretebatur ſex leges, tres negatiuas, legem nimirùm homicidij, adulterij, iuriſiurandi et periurij: et tres affirmatiuas,

Matth. 5.

mativas, legem scilicet repudij, talionis vel vindictę, et charitatis, in quibus omnibus nō agebat legislatorem, sed legis interpretem, et instauratorem, vt de eo vnum ad idem sentiunt, omnes ferè & veteres & novi interpretes: Nam etsi videatur aliquid addere, tamen non sunt verè addita, cum in ipso mandato vt implicita & consequentia contineantur, sed ponuntur potius per viā declarationis propter imperitos, à Scribis & Pharisæis non fideliter instructos: proinde jam in tribus negatiuis legibus, videlicet Nō occides, Non cōcupisces, Non peierabis, habebant Judæi veram literam ipsius legis, verumq; sensum, sed non plenum, & id quod iustum & æquum fuit, sentiebant, verùm aliquid tamen amplius, quam ipsi cogitabant aut suspicabantur, ab ipsis desiderabatur: existimabant enim adulterium, esse prohibitum, & in hoc rectè censebant, at verò ineffrænatam & luxuriantem concupiscentiā esse compressam & coercitam non intelligebant;

et in eo miserè deviebant: nouerũt quidem, illis homicidio, fuisse interdictũ, et in hoc rem (quod aiunt) acu tangebant, percussionem tamen, vulnerationem, iracundiam, et violentum mentis impetum æque esse impeditũ non agnoscebant, et in eo, toto, quod dicitur, cælo aberrabãt. At vero in affirmatiuis mandatis et a literâ, et proinde a sensu ipsius legis penitus erant auersi et alieni, eò quòd opinabantur legem Mosaicam omni in causa diuortium et secundas nuptias admittere, quod ipsum in adulterio tantùm factitabat.

Hos igitur errores, vel potius traditiones Pharisaicas, seruator noster in melius format et effingit, et quamuis apud populum Iudaicum altissimis erant defixi radicibus, eos tamen funditùs euellit, et extirpat, cum sic sensum et mentẽ Mosaicæ legis eruit et explicat; vbi dictum erat antiquis Non occides, vt vim pondus, ac mensuram istius legis populo ante oculos proponeret, inquit, ego dico vobis quod dictum est etiam antiquis,

uis, et lege Mosis sancitum et confir-
atum, Quòd omnis qui irascitur fratri
reus erit iudicio, et quæ sequuntur:
vbi dictum erat antiquis Non mæ-
aberis, vt abditum et latentem sen-
m istius legis euolueret, et enodaret,
quit, ego autem dico vobis quod di-
um est etiam antiquis, et lege Mo-
paritèr ratum et stabilitum, Quòd
mnis qui viderit mulierem ad con-
piscendum eam, is mæchatus est
m in corde suo: deniq; vbi dictum
t, quicunq; dimiserit vxorem suam
t ei libellum repudij, vt vim et e-
rgiam istius pariter legis explicaret,
quit, ego dico vobis quod dictum
etiam antiquis, et lege Mosis pre-
iptum & impositum, quod omnis
i dimiserit vxorem suam excepta
usa fornicationis, facit eam mæcha-
et qui dimissam duxerit, adulterat.

Hinc autem singularè quiddam, et id
od obseruatu digniſſimum est perci-
re possimus, cum enim seruator no-
r exhibet populo & proponit legem,

in qua non iuxta literam, ſed iuxta ſo-
lum modò ſenſum errabant Judæi &
deviabant, vtitur hac phraſi, quaſi pro-
æmij in loco, Dictum eſt antiquis, id eſt
dictum eſt parentibus veſtris antiqui-
tus, in primâ nempe creatione & inſti-
tutione legis, Non occides, Non con-
cupiſces, non peierabis, & ita reverâ
eorum maioribus antiquitus in prima
promulgatione legis dictum fuit: cum
verò exterminat quaſi, & exturbat
phantaſmata quædam aut traditiones
Phariſaicas, quas Scribæ & Phariſæi,
inſtar ſancitæ legis avidius amplexa-
bantur, cum in legis ipſa litera & na-
turâ nihil eſſent minus, in illis locis non
dicit dictum eſt antiquis, tanquam il-
lud eſſet aliquid prolatum à Moſe pa-
rentibus ipſorum, ſed tantum inquit,
Dictum eſt, nempe per Scribas &
Phariſæos, vt videre eſt in tribus affir-
mativis legibus, nam putabant Judæi
Deut. 19. legem illam Deuter. 19. *oculum pro oculo, dentem pro dente*, ad populum &
privatum quemq; pertinere, quæ ſolum

ad

ad magiſtratum ſpectabat: putabant etiam legem illam Leu. 19. *Diliges proximum tuum*, inſinuare & odio habebis inimicum, cũ lex nihil huiuſmodi præcipiebat: deniq; putabant legem illam repudij, Deu. 24. huiuſmodi eſſe vt quicunq; vellet dimitteret vxorem, modo daret illi libellũ repudij, cũ lex illa repudium ad fornicationẽ ſolũ reſtringebat: vnde ſervator noſter explicans legẽ ait, ego dico vobis quod per legẽ Moſis (nõ eſt. n. ille legiſlator ſed interpres.) Quicunq; dimiſerit vxorẽ ſuã, excepta cauſa fornicationis, facit eã mæchari, et qui dimiſſã duxerit adulterat: et idcircò in proœmio ad has tres leges non ait dictũ eſt antiquis, id eſt parentibus veſtris per Moſen, oculũ pro oculo, dentẽ pro dente, diliges proximũ & odio habebis inimicũ, & quicunq; velit dimittere vxorẽ det ei libellũ repudij et ſatis erit, ſed ait ſolummodò dictũ eſt, non antiquis per Moſen, ſed vobis per Scribas & Phariſęos, vt intelligamus hęc eſſe potius invẽta & traditiones Phariſęorũ et Scribarũ

Lev. 19.

Deut. 24.

quam aliquas leges per Moſen antiquitùs ſtabilitas.

Quapropter niſi ſeruator noſter interpretatus fuerit quinq; leges, et ſextam de nouo præſcripſerit, id quod vix veriſimile eſt: et niſi primæ & poſtremę leges fuerint Moſis explicationes, et in medio fuerit noua quædam lex, eo temporis puncto ſancita, id quod mihi incredibile videtur: poſtremo niſi hoc ipſum (ego dico vobis) in quinq; legibus referatur ad Moſen, et in ſexta lege recidat in Chriſtum, id quod (vt mea fert opinio) ab omni prorſus ratione abhorret, certùm profecto & definitum eſt, iudice & interprete Chriſto, diſpenſationem illam diuortij lege Moſaicâ in adulterio tantùm prævaluiſſe.

Hic autem eſt (auditores) quod vos etiam atq; etiam obteſter, vt de hac ſcriptura ſæpè & multùm cogitetis, & eam diligenti, quòd aiunt, trutinâ ponderetis: eſtote quæſo iuſti & æqui rerum verborumq; æſtimatores,

et ne ſinite voſmetipſos in re tam gravi, et tam perſpicua diutiùs labi, errare, decipi: vobis indignum iudicato tè, aliorum ſententia quaſi torrente rapi, & opinionis alienæ quaſi vento circumferri.

Præterea poſſum hic teſtimonio ſeruatoris noſtri, Matthæi, 5. cõfirmare & conuincere, diuortium à Moſe eſſe inſtitutum adulterij tantum in cauſa: quod dum fecero peto à vobis, vt attenti & benevoli, ſecut eſtis, eſſe velitis: cupio enim ad hunc locum tanquam ad Lydium lapidem examinari, qui fortaſſe vobis videatur meam ſententiam vel maximè impugnare: certè quidem liberè agnoſco et confiteor, hunc locum, ex omnibus ſcripturæ locis, eſſe maximè proprium & accommodatum ad hanc quæſtionem definiendam, quippe quòd in eo hæc ipſa quæſtio planiùs proponitur, ſi liceat Iudæis vxores dimittere quacunq; de cauſa, quo in loco obſeruetis velim, primum quæſtionem ip-

ſam deinde ſeruatoris noſtri reſponſum.

Quod ad primum ſpectat, dicitur, acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes illum, vbi autem iſtiuſmodi phraſis vſurpatur, eum cum dilemmate quodam & chrocodolito argumento adoriuntur, ſibijpſis planè perſuadentes, quicquid is reſponderit, ſe tamen nactos eſſe quod calumnientur. Illi igitur cornutam hanc & implicatam mouent quæſtionem, nimirum, ſi liceat vxorem dimittere quacunq; de cauſa: ſi autem dixiſſet negatiuè non licere, accuſaſſent eum tanquam Moſi contrarium & repugnantem: ſi vero reſpondiſſet affirmatiuè licere, tum ſanè inſimulaſſent eum quaſi violatorem legis naturæ, & expugnatorem iuſtitutionis matrimonii, eiuſq; doctrinam arguiſſent vt imperfectam, & ad omnes nefarias libidines viam egregiè præmunientem.

Quò igitur ſeruator noſter, in hoc quaſi Iſthmo conſtitutus, vtrumq; cornu

nu tortuoſæ & ſpinoſæ huius argumentationis effugeret, reſpondet quidē, verùm nec negando legem dei nec naturæ in prima inſtitutione, nec legem Moſis violando, in diſpenſatione Iudæis prius exhibita, ſed potius aſſerendo non omnino lieere quoad primā inſtitutionem; quippe quòd, Non legiſtis inquit quia qui creauit hominem ab initio maſculum & fæminam creavit eos, et dixit propter hoc dimittet homo patrē & matrē et adhærebit vxori ſuæ, et erunt duo in carne vnā, itaq; jam non ſunt duo ſed vna caro, quod ergo deus coniunxit homo non ſeparet.

Deinde cum illum altero cornu premere conarentur, et contētiùs elaborarent, legemq, Moſaicam prædicarent, dicentes cur ergo Moſes præcepit dare libellum repudij, et dimittere, videlicet quacunq; de cauſa, (in eo enim totius quæſtionis quaſi cardo verſabatur:) ſi hic reſpondiſſet minuendo authoritatem Moſis, et illius legem penitùs abrogando, captus fuiſſet illco,

et

& eorum laqueis irretitus, ſicq; eum vel magiſtratui tradidiſſent, vel ipſi eum lapidibus oppreſſiſſent: proindè ille legē Moſaicam vel maximè approbat, & diſpenſationē illam liberrimè agnoſcit, eò quòd dicit, propter duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, quod tamen non fuit ſic ab initio: nec in lege naturæ, nec in inſtitutione matrimonij; vos tamen legē illam male & perperā intelligitis, dum ſic eſtis animati, quaſi permiſerat ille dimittere vxores veſtras quacunq; de cauſa: permiſit quidē dimittere vxores, ſed non quacunq; de cauſa, dico enim vobis, quia quicūq; dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationē, & aliā duxerit mæchatur, & qui dimiſſam duxerit mæchatur: *ego dico vobis*, non id quod ipſe jā primum conſtitui, ſed id quod Moſes multis abhinc ſæculis parentibus veſtris promulgavit, tota enim quæſtio in mēte ac ſententia Moſis indaganda & explorandā verſabatur.

Quinimò cōmittitur hic fallacia ſecun-

cundũ plures interrogationes, primò enim interrogant Christũ an liceat vxorẽ dimittere quacũq; de causa, deinde, an non mandavit Moses dare libellũ repudij? quasi inde sequeretur, si Moses mandavit dare libellũ repudij, & dimittere, ergo liceat dimittere quacunq; de causa: fieri autẽ nec commodè, nec omnino potest, vt duæ istæ quęstiones vna simplici vel negatione vel affirmatione determinentur, idcirco vt fallaciã hanc evitaret & excuteret, aliã viã ingreditur, & duplicẽ instituit responsionẽ, vnã quidẽ affirmatiuã, Moses permisit dare libellũ repudij, alterã verò negativam, Moses nõ permisit dare libellũ repudij, & vxores dimittere quacunq; de causâ: nã ego dico vobis, quòd lege Mosis hoc statutum est & definitum. Quicunq; dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliã duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.

Quamvis autẽ hęc interpretatio illis fortasse nova & inusitata videatur, qui in hac quæstione multũ & diu desudarunt,

runt, mihi tamẽ planè perſuadeo, quòd et illi ijdem confitebuntur, cum cognoverint et perſpexerint omnes quæ occurrunt circumſtantias, hanc interpretationem ſcripturę illi maximè convenire & conſonare: præſertim ſi penitiùs explorauerint quantas perturbationes, et quam frequentes tragædias, cum apud veteres, tum nouos ſcriptores, hic locus vel malè, vel non omnino intellectus excitauerit, tam in ijs qui poſt diuortium nuptias introduxerunt, quam & in ijs qui ſecundis nuptijs vel pugnaciſſimè reſtiterunt.

Simplex verò & aperta huius interpretationis veritaś hinc vel maximè elucet, quòd et ij qui nobis alium ſenſum obtrudunt, et exiſtimant ſeruatorem noſtrum legem Evãgelicam inſtituere, & diſpenſationẽ Moſaicam prorſus improbare, coguntur, et impelluntur illius ſenſum huc & illuc diuerſimode torquere et flectere, et ad varias neſcio quas mutationes confugere: dum alij hunc locum mutilant & luxant, alij ad-

addunt aut detrahunt: alij elutius quam par est excolūt, vt eum misere terendo aliquid noui exprimāt: omnes id obnixe contendunt vt vnicè statuant, quod ad eorum palatum maximè sapit: in quo nudam hāc et dilucidam interpretationem eludunt, et perspicuitate huius loci inconsultius abuuntur: ex hac porro multiplici & infinita opinionū varietate, intelligere possumus eos extra chorum, quòd aiunt, saltasse in hoc loco enodando & enucleando et in errores incidisse, et coniecturâ aberrasse, cum veritas sit vnica, simplex, et expedita, error autem multiplex, & varijs inuolucris quasi velis obductus.

Caietanus enim et deinde Beza, licet in quæstione hac diuersum sentiant, in hoc tamen cōueniunt, quod vltimę parti huius sententiæ adijciunt. *Nisi causa fornicationis: ego dico vobis quicunq; dimiserit vxorem suam nisi causa fornicationis, et aliam duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit,* (nisi ob causam fornicationis,) mœchatur. Caieta. Beza.

Lyra-

Lyranus arbitratur literam huius loci deficere,& interponendum ac inferendum putat verbū peccat: *Quicunq; dimiſerit vxorem ſuā niſi ob fornicationem* peccat,& legem matrimonij violat & infringit.

Quidā alij ſuſpicantur illa verba, Niſi cauſa fornicationis,in textū irrepſiſſe,et in quibuſdā exemplaribus non inveniri.

Durandus, 4. diſt. 35. quæſt. 2. affirmat chriſtū loqui prę ſuppoſitâ lege veteri, quæ iubebat adulteros occidi, & hac lege ſervata licebat in cauſa fornicationis vxorē dimittere & aliā ducere, nimirum,quia propter adulteræ ſupplicium extremū dirimebatur vinculū cōiugij: nō animadvertit ille, quod potuit multis modis impediri & procraſtinari mors adulteræ, vel quia fugeret in aliā regionē,vel quia non poſſit duobus teſtibus probari & propalari adulteriū, etiāſi viro cognitū eſſet & exploratum: deinde interficere vxorem non eſt eam dimittere, nec recte poſſit dici alia duci priore dimiſſa,cum prior non viuit, ſed vitam

vitam cum morte commutauit.

Asserit Tertullianus, libro, 4. in Mar- Ter.
cionē, Christū conditionalitèr hic instituisse divortij prohibitionē, si ideò quis dimittet vxorem vt aliam ducat.

Bellarminus multa phantasmata, & Bellar.
insomnia nescio quæ excogitat, quorū ne vestigia quidē in textu expressa vel adumbrata reperiantur; et quamvis ipse sentit, quā sint ea ad suas partes corroborandas perexigua et planè nulla munimenta, tamen ne obmutescere videatur, speciem aliquā probabilitatis excogitat, quâ scilicet persuadeat, verba illa *Nisi ob causā fornicationis* non redūdare, si nō licet dimittere ob fornicationē & aliam ducere: Fingit enim Pharisæos venisse eo animo & consilio quo christū tentarent, & in sermonibus irretirent, quia jā audierant eū in monte quædam disseruisse contra libellū repudij, à Mose in lege concessum, (quod figmentū est & vanitas, nullis fulta adminiculis, nullis nixa vel saltē vmbris rationū:) & cū videret christus auditores minus dociles,

vel

vel ineptos potius ad tanta miſteria percipienda, reſpondet ad interrogata prę-ciſè, verum an liceat dimittere fornicariã quoad vinculũ, & aliã ducere, hoc apertè dicere noluit, quia id altius erat quam ab ijs concipi aut cogitari poſſet: quã tamen opinionẽ ipſe volens nolens reſellit, aſſerẽs ex ijs quæ dominus dixerat de prima origine inſtituti matrimonij facile hoc etiã intelligi poſſe; quę rit igitur latebras & diverticula, tantas tamen in anguſtias coarctatur, vt nullo fuco, nullo artificio ſuã occulat in hac interpretatione ieiunitatem.

Alij qui nolunt aliquã particulam huius ſententiæ obliterari aut expungi, ne ſic tota eſſet manca au. mutilata, affirmant hoc ipſum, *Niſi cauſa fornicationis* debere addi 10. Marci, & 16. Lucæ, *omnis qui dimittit vxorẽ ſuã et aliã ducit mœchatur, et qui dimiſſam à viro ducit mœchatur*: alitèr enim illi Evãgeliſtę inter ſeſe pugnarent: iſta enim cõtradicentia ſunt, omnis qui dimiſerit męchatur, id quod affirmat Marcus: & nõ om-

Mar. 10. Luc. 16.

nis

nis qui dimiserit mœchatur, id quod ex sententia Matthæi colligitur, nã qui dimiserit causa fornicationis non mœchatur: verũ si in sensu nostro accipiantur, nẽpe quòd in Matthæo sit expressa lex vel dispensatio Mosaica, in Marco verò et Lucâ lex divina prima in institutione tũ optimè possent sine aliquâ additione aut contradictione, reconciliari.

Præterea sentẽtia illa Marci, 10. vera est in sua ipsius natura, et non mutuatur verba aut interpretationẽ ex Matthæo, quãvis enim Evangelistæ omittunt interdum aliquid aut addunt, quod alij Evangelistæ non omiserunt, aut non addiderunt, nunquam tamen ità omittũt, vt exinde sentẽtia reddatur falsa, si alios Evangelistas nõ cõsuluamus: si ergo hęc verba, nisi causa fornicationis addenda sint necessario ad alios evãgelistas, certè Marcus & Lucas quã plurimos in errores varios deduxissent, quibus sua ipsorũ Evangelia tradidissent, nisi eos ad alia Evangelia tanquam ad commentarios remisissent.

Certe quidē quando Marcus Romæ scripsit Euangeliū ex prædicatione Petri acceptū, non remisit Romanos ad Euangeliū Matthæi tanquā ad cōmentarium, imò si tum Romæ Mathæi Evangeliū in manibus fideliū fuisset, credibile est Marcū scripturū non fuisse: Nō enim scripsit Marcus vt Matthęo aliquid adderet, quod postea fecit Joannes, sed tantū ut haberent Romani id scriptum memoriæ gratia, quod solà voce Petrus Apostolus illis tradiderat: hanc enim
Iræ.lib.3.1. causā referunt Jrenæus lib.3.cap.1. Eu-
Euſ.eccl. sebius lib.2.historię ecclesiasticæ, ca.15.
hiſt.li.2.15. & Hieronymus in libro de viris illustri-
Hier de vi. bus: Idem dicendū etiā de Luca, qui Eu-
illuſt. ãgeliū scripsit ijs gētibus, quibus prædicauerat Paulus, & ad quas nondū pervenerāt Matthæi vel Marci volumina: oportet igitur vera esse absolutè quæ Marcus & Lucas dicunt, neq; à verbis Matthæi depēdere, nisi velimus deceptos fuisse eos qui sine Matthęo Marcum & Lucam legebant.

Aug. Ad hęc sanctus Augustinus opinatur hanc

hanc particulã *Nisi*, ſumi negatiuè non exceptiue, & vult eã non excluſiuã aliquã exceptionẽ ſignificare, ſed potius intentionẽ, & magis, quod aiunt, & minus includere, ita vt hic ſit ſenſus iſtius exceptionis *Niſi cauſa fornicationis*, vt illi magis peccent qui ſine cauſa fornicationis diuortium contrahunt, eos tamẽ vt adulterij reos arguit, qui propter cauſam fornicationis vxorem demittunt & aliam ducunt.

Ianſenius vult illam exceptionẽ, *Niſi ob fornicationem*, non referendã eſſe ad totã orationem, ſed tantum ad partẽ prȩcendentem, ut nõ ſignificetur licere ob forcationẽ aliã ducere, ſed licere tantũ ob fornicationẽ vxorẽ dimittere, ita ut hic ſit ſenſus: Quicunq; dimiſerit vxorem ſuã, quod non licet niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.

Jam verò qui cõtrarias has & repugnãtes inter ſe opiniones animo percurret, facilè perſpiciet quantos in labyrinthos illi inciderunt, qui volunt hanc eſſe novã Chriſti legẽ, et non veterẽ Moſis

dispensationem: nam cum nativus & germanus huius loci sensus sit quasi regia quædam via, cui insistere sine casu aliquo aut prolapsione possent, ab eo longè lateq; exobitare, et ad diuerticula quædam & Mæandros diuagari, est in certissimum periculum imminentis erroris aut hæreseos incurrere.

ug. de civ. ci. li. 8. c. 3 Etenim vt Augustinus perhibet, dum Socrates ipse omnia mouet, asserit, destruit, quoniam non euidenter quod quærebat apparuit, eius discipuli, quod cuiq; placuit arrepserunt, ac inde scripserunt, et vbicunq; visum est ibi finem boni posuerunt: simili planè ratione dum vnus aliquis in primitiua ecclesia (patrum quisquis fuit ille priorum) male intelligit hanc phrasin, *ego dico vobis*, esse potius correctionem quandam & emendationem legis Mosaicæ, quam asseverationem aliquam aut explicationem illius, tota demùm series subsequentium scriptorum, cum diligentius animaduerterat, hunc textum communi huic receptæ veritati ad-

aduersari nimium quod vinculum matrimonij esset omnino, et id diuinitùs, insolubile, contentiosissime dimicarunt inter se, alij in sinistram nimis hunc locum flectentes, alij autem nimis in dextram intendentes: et alios etiam in varias opiniones distrahentes. ruere enim ipsi non possunt, nisi et alij etiam eodē labefactati casu simul concidant: vnde fit, vt illi, inconsultò a veritate longiùs abhorrentes, quamplurimos itidem alios in multa absurda secū diduxerint, vt videre licet in ijs, qui eorū opinionib⁹ se confidentiùs vouerunt & consecrarunt.

Qui enim hāc scripturā quoad literā legūt, et inde correctionē Mosaicæ dispensationis, et nouā Euangelicā legem expiscantur, in hoc tandem absurdum dilabuntur, vt quamuis vinculum sit solutum, & ambo liberi & immunes euadant, pars tamen nocens nullatenùs superducere permittatur.

Qui vero hāc quasi Scyllā prę vidētes, vltimæ clausulæ addunt, Nisi propter fornicationē, in aliā paritèr Charibdim

incidunt et impingunt, dū enim vtrisq; nuptias concedunt et largiuntur, constituunt meliori statu et conditione dimissam ob fornicationem, quæ suum ad libitum et arbitrium denuò nubat, quam eam quæ præter suam culpam demittitur, cum illi hac lege nuptiæ secundæ interdicantur.

Alij suspicantes idipsum *ego dico vobis* Matthæi 5. (quod proculdubiò cum hoc consentit) esse additionem seruatoris nostri ad legem, et non explicationē legis, aut existimant cum Waldēsibus, et Pelagianis, Non omnino licere iurare, quia dictum est per nouam legem, ego dico vobis non iurare omnino; aut cum Anabaptistis non licere christiano homini secularem gerere magistratum, eo quod dictum est ego autem dico vobis non resistere malo: aut deniq; cum Pollentio illud verbo dei licere, quod tacitis eorum iudicijs, reipub: optimè constitutæ vel maximè repugnat, hoc autem est post diuortium propter adulterium, ad secundas nuptias se recipere

Ve-

Verum vt multa alia absurda quæ ex hac interpretatione vberrimè scaturiunt, sicco, (quod aiunt,) pede præteream, quantum ego assequor, vel manifestissimè apparebit, hanc phrasim *ego dico vobis*, non euincere hanc esse nouã legẽ Evangelicam, et per consequẽs antiquationem legis Mosaicæ quoad divortium, cum seruator noster dum inter viuos ageret, veterem legem Mosis nec plenè, nec partim sustulerit.

Certo certius est scribas & Pharisæos duplicitèr mandata dei violasse: primo obseruantiam & obsequium suarum traditionum magis exactè & rigidè a suis exigendo, quam scripta in lege dei mandata: secundò ipsa dei mandata, per suas nouas traditiones, quasiq; expositiones peruersas corrumpendo & adulterando: vt apparet in mandato de honorandis parentibus, de homicidio, de adulterio, de charitate, de vindicta, de odio, et de diuortijs: primo igitur sublatæ sunt per Christum, quantum potuit disputando & docendo efficere,

traditiones illæ ſeniorum: Non enim ad ædificationem, ſed ad onus inutile ſpectabant: vnde illas, aniles fabulas Paulus vocat 1. ad Timotheum 1. vt docet Auguſtinus contra aduerſarium legis et Prophetarum, libro 2. capite 1. pullulabant autem & oriebantur hæreditiones a recentibus ſcribis et pharisæis paulo ante aduentum Chriſti, vt fusè & copioſè oſtendit Epiphanius in hæreſi Prolomæitarũ, et Hieronymus variis in locis, in caput 8. Eſaiæ, caput tertium Epiſtolæ ad Titum, in Epiſtola ad Algaſiam quæſtione decima: et hæronymus libro 4. capite 25. & 26. ſecundo emendatæ ſunt a Chriſto Phariſaicæ depravationes, & corruptiones legum Moſaicarum, vt apparet Matthæi quinto verſu decimo quinto veruntamen legem ipſam Moſaicam, à Chriſto dum humanam carnem circumgeſtabat, non deleri nec antiquari, multis iiſq; firmiſſimis rationibus poteſt evinci.

1. Tim. 1.

Aug. cont. aduerſ. le. Epiph. lib. 3. cæ 1.

Epipha. in hær. Ptol. Hier. ca. 8. Eſai. Iran.

Primò teſtatur ipſe Chriſtus Matthæi

thæi quinto Non veni ſoluere legem: hìc autem ſi interrogat quiſquam, quî id fiat, aut qua ratione conſtet, cum certum & exploratum ſit, chriſtum legem tuſtuliſſe quoad ceremonialia & iudicialia eius præcepta, vnde & Diuus Paulus affirmat, eum medium parietem maceriæ ſoluiſſe, & legem mandatorum decreti eximaniſſe, præſto eſt quod reſpondeam, nempe dominum dixiſſe, ſe non veniſſe ad ſoluendam legem, quia non venerat, vt in propria perſona eam ſolueret, & aboleret, cum nouimus eam poſt Chriſti aſcenſum, per Apoſtolos fuiſſe abrogatam. Eph. 2. 14.

Secundò iubet nos Chriſtus a Phariſæorum fermento cauere, Matthæi decimo ſexto, id eſt à propria eorum doctrinâ, ab ipſis adinuenta: ſed tamen iubet audire ſcribas & Phariſæos ſuper cathedram Moſis ſedentes, id eſt docentes ea quæ per continuas et interruptas Prophetarum et parentum ſucceſſiones à Moſe acceperant. Matth. 16. 12. Matth. 23 Matth. 5

Ter-

Tertiò dominus nõ dicit, Matthęi 5. Niſi abũdauerit iuſtitia veſtra plus quã iuſtitia legis & prophetarũ, ſed plus quã iuſtitia Scribarũ & Phariſæorũ, omnia enim ea præcepta quæ dominus in illo capite diſpoſuit, erãt in lege & prophetis comprehenſa, ſed tamen non erant apud Scribas & Phariſæos, qui *ſecundũ legem*, ea non intelligebant.

Quarto Chriſtus Euangelicã legem non ſtabiliuit prius, quã animã expiraverat, & extremum emiſerat ſpiritum, tũ enim tandẽ protulit conſummatum eſt: Nã chriſtus inter homines degens, ſuam promulgavit & prædicavit legẽ, quæ tamen tum demũ inciperet obligare, cum ipſe vltimam exhalans animam veterem abrogaret: Tunc enim in ara crucis nouo ſacerdotio vetus antiquavit, & trãſlato ſacerdotio, tunc neceſſe fuit, vt ait Apoſtolus ad Hebręos, vt legis trãſlatio ſimul fieret, & proinde ſtatuunt Theologi, in ipſo articulo in quo Chriſtus animam expirauit, mortuam fuiſſe legem veterem, quamvis non fuerit

erit ſtatim mortifera.

Quintò non ſolũ ſeruator noſter cautè & prouide proſpexit in omni ſermone ſuo ne interturbaret Judæos, pronũciando legem Moſis vel abrogatã eſſe, vel fore abrogandã, verũ etiam diſcipuli eius, eo defuncto, tam erant faciles tã procliues in Judæos, vel credentes, vel credituros, vt abſtinerent etiam ab immolatis, & circumciſionẽ nõ tollerent, ſed potius Timotheũ futurum Epiſcopum circumciderẽt, vt patet ad Romanos, 7. vbi autem concludere potuit Apoſtolus, homines liberos eſſe à lege, & non illi diutius emãcipatos, quia lex eſt mortua, ſicut dicit vxorem liberari quãdo moritur vir eius, tamen ne Judæis ſcrupulũ aliquẽ inijceret, maluit invertere concluſionem, & dicere nos potius eſſe mortuos, quam ipſam legẽ, cum & hoc, & paritèr illud rectiſſimè potuerat affirmari. Rom. 7.

Verum vt concedam ſeruatorem noſtrum ſuis in ſermonibus aliquando Judæis inſinuaſſe, ſe velle robur & virtutẽ

Moſai-

Mosaicę logis aliquantulum infringere, & infirmare, (cuius sententiæ in gratiam non memini me vnam in scripturis vel syllabam inveniſſe) vero tamen verius eſt, chriſtum hoc loco id nec conatum eſſe nec molitũ, hic enim quæ fuit Moſis diſpenſatio, et prima Dei inſtitutio indicat tantum & enarrat.

Kem. pag. 162. Kemnitius autem obſeruat, legem diuortij corruptam & deprauatem per Scribas et Phariſæos, inquit enim, actio diuortij apud Judæos in eam leuitatem degenerauit, ut ex quacunq; cauſa vxores demitterent: Matthæus dicit κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, hoc eſt qu cquid eſſet, cnius poterãt vxores inſimulate, ſtatim poſtulabant & petebant diuortium: videmus ergo Kemnitio iudice, quod non lex Moſis, ſed abuſus potius & corruptio Judæorum, divortium omni in cauſa comprobauit: Quid autem ſeruator Chriſtus? num legem Moſis pro abuſu & corruptelis Judæorum abo leuit? aut ſignificauit diſpenſationem illam expiraſſe, & à carcere, quòd aiunt

unt ad calcem peruenisse? certè quidem seruator noster Scribas & Pharisæos vel in eo confutauit satis, cum ostendit, quod illi ipsi, legem eam effrenata & impudica licentia violassent, quæ esset solum dispensatio, propter cordis duritiam concessa, & ab institutione matrimonij penitus aliena. Propterea addit Kemnitius, Christus in matrimonio nihil noui instituit, sed restituit doctrinã ad primæuã institutionẽ: atq; ita exponit insolubilitatem matrimonij ex primà institutione, et quibus in causis sit solubile ex lege divortij.

Hactenus sententiam et interpretationem meam rationibus, quasi muris muniui satis, verumtamen ea è Matthei & Marci collatione luculentius adhuc constabit: inde enim intelligere possumus, seruatorem nostrum hac phrasi *ego dico vobis*, legem Mosis noluisse abrogare: Nam Marci, 10. seruator quæsivit, quid Moses præcepisset, quod fecit non tãquam ignorans, quis enim eum

nisi

nisi qui infantissimus est, ignorantiæ incusabit, in quo plenitudo omnis scientiæ habitauit, sed vt se legis non contemptorem esse demonstraret, & vt aliam institutionem antiquiorem, primæuam scilicet et diuinam induceret.

Deniq, vt huic rei finem tandem aliquando imponam, quecunq; Christus addidit legi, ea certè perfectiora erant, et magis absoluta, quam ea quæ vel in lege per Mosen mandata fuerant, vel ante Mosen per naturæ leges instituta, qualia sunt ea quæ à nonnullis consilia euãgelica vocantur: sed tamen post dimissam vxorẽ aliã superducere, non sapit aliquam perfectionem, sed libertatẽ potius carnalem, & proinde verisimile est christum illam superinductionem non addidisse.

Possum insuper multa probabilia argumenta, his (vti mihi videntur) demõstrationibus, è scriptura ãtiquioribus petitis, quam apposite addere.

Primo, dicitur Leuit. 21. *sacerdos scortum aut vxor prostibulum non ducet, a vxorem,*

uxorem, nec eam quæ repudiata est à marito: videtur connumerare repudiatas inter meritrices, & sic tacite insinuare divortium fuisse tantum propter adulterium: quæ enim ratio assignari vel excogitari potest, cur sacerdos non posset ducere repudiatam, iniusta de causa, & pro voluntate viri tantummodò sepositam & abdicatam? Licuit enim sacerdoti viduam ducere, modo non esset summus sacerdos.

Secundò, 22. Deuteronomij dicitur *Si vir puellam virginem apprehendens dormierit cum ea, & res ad iudicium venerit, dabit vir ille patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxorem, nec poterit eam dimittere cunctis diebus vitæ suæ*: ratio cur eam dimittere non poterat, non erat quod eam iam duxerat in vxorem, tum enim licebat vxores dimittere, vt patet Deuteronomij vicesimo quarto, sed quia eam inhoneste & inordinate vitiauerat, & ipse ei infamiæ labem asperserat, quam ob causam priuilegio dispensationis vir excidebat,

cidebat, cum postea nec infamiæ, nec pessimi nominis maculam vxori inurere poterat, eò quod ipse vi & impetu eã primùm defurparat, et diffamarat, & in eo vim & rationẽ repudij irritam & inanem fecerat: si enim alias ob causas poterat etiam eam dimittere & eliminare, credibile est hanc solam causam repudij voluisse legem illi prohibuisse, & aliarum causarum sibi copiam fecisse, cum in vnã hanc ipse solum deliquerat.

Tertiò quoad longissimè potest mens mea respicere, & indè vsq; repetere, nõ reperio privilegium huius dispensationis aliquibus intercluſum, nisi tantum illis, qui vel nondum initis nuptijs vxores vitiauerant, aut post matrimonium obsignatum vxoribus turpissimi nominis quasi lepram & corruptelam intulerant, vnde colligitur stuprum & nomen pessimũ fuisse solas causas diuortij, quæ cum vxoribus essent illata per ipsorum maritos, in hoc amittebant privilegiũ repudiandi eas. Quod fieri nõ potuit, si alias ob causas dimittere poterant quarum

rum mariti non erunt conscij.

Quarto dicitur Deuteronomij 22. *si duxerit vir vxorem, et postea odio habuerit quæsierit q. occasiones quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessimum, vt dicat patri Non inueni filiam tuam virginem*, &c. *tollet eam pater* &c. vbi primùm obseruemus non id sufficere ad inficiendum diuortium quod vxores odio prosequimur & insectamur, nisi secundo quæramus occasiones, et iustam aliquam excogitemus rationem, deinde tertio causa vel ratio illa sit nomen pessimum, nempe quod adultera fuerit, quo nihil turpius nihil fœdius de fœmina fingi vel excogitari potest.

Quinto asserit Augustinus quòd Iudæi hoc diuortium expetebant ad imitationem gentilium, exemplo inquit gentium ad hoc inuitati sunt Iudæi, verisimile igitur videatur, quod quamuis deus illis aliquid indulgentius concederet, non tamen tantū largiretur quantum gentes vendicabant. quemadmodū ergo

eum ad exemplum gentium sacrificare Moloch voluerunt, id est Saturno, permisit eis sacrificia deus, sed non permisit tamen immolare filios, &c. Eâdem prorsus ratione cum diuortium petierunt more gẽtium, credibile est Deum non tantum licentiæ illis concessisse, quantum gentes vsurpabant, sed cum inter eos vulgare & vsitatum esset, omnibus in causis ad diuortium confugere sine reatu aliquo vltionis humanæ, vnde et illa cui voluerit nubit, et ille quam voluerit ducit, ut testatur Augustinus, verisimile est Deum apud populum suum ad solùm adulterium diuortium lege restrinxisse, eò quòd illud malum, cum bono matrimonij quam maximè pugnabat.

Aug. de bo. con. cap. 7. & 8.

Sexto per tolerationem polygamiæ viri quot voluerunt ducebãt nullas autem dimittebant, nunc autem si & per hanc dispensationem diuortij possent etiam quot volunt dimittere, ob hoc solum quia eas odio habuerint, aut quia non inuenerint gratiam in oculis eorũ, quan-

quantam vitæ perturbationem & confusionem apud talem populum iudicabimus, tam duro et lapideo corde præditum, tanto zelotypiæ quasi æstro percitum, & tam ad omnem licentiam & libidinem luxuriãtem & lasciuientem? & sane vix mihi persuaderi poterit, quòd homines ut ut optimæ facultatis & conditionis, voluerant vnquam tot vxores & tam numerosas, in eorum detrimentũ & incommodum aluisse, quãdo poterant propter aliquam leuioris notæ offensionem eas dimittere, et perpetuam seriem et quasi ansam commutationis arripere: quapropter vt hæc confusio evitaretur, credibile est Deum adulterio solo divortium concluisse, & eos quasi limites vltra quos egredi non potuerat, repudio designasse.

Reliquum est vt illa argumenta diluam, quæ aduersus hanc opinionem inlurgunt, quod quidem onus ex eo magnopere subleuatur, quod robur eorum, & firmitas ijs scripturarum locis nititur præcipuè, aut eorum ex consequen-

ijs deducitur, quæ fauent nostræ opinioni: si igitur eo modo quo exposuimus intelligantur, ex ijs promptas et expeditas responciones nanciscamur.

Si enim opponunt legem, Deuteronomij, vicesimo quarto. *Si acceperit vir vxorem, & non inuenerit gratiam in oculis eius scribet libellum repudij*; is locus intelligatur secundum literam textus in causa turpitudinis, vel fœditatis, vel nuditatis quæ omnia adulterium et immunditiam significant.

Mal. 2. Si autem illud vrgent secundo Malachiæ, cū odio habueris dimitte eam, illud est aut responsum Iudaicum, vt arbitratur Hieronimus, quod deus ibidem grauiter et apertè reprehendit; aut est perfunctio diuina, ne Iudæi vxores perpetuò vexarent et cruciarent, sed potius scriberent libellum repudij, tum autem illud divortium est faciēdum propter id quod expressit Moses Deuteronomij vicesimo quarto, hoc est propter

adul.

adulterium solum.

Si vero in apertum afferunt illud Matthæi 5. 19. ego dico vobis, quicunq; dimiserit vxorem excepta causa fornicationis facit eã mœchari &c. in promptu est quod respondeam, nempe seruatorem nostrum iis in locis non esse legis latorem, aut antiquatorem legis mosaicæ, sed potius ipsius interpretem aut instauratorem, eo quod hæc ipsissima verba sub forma Mosaicæ legis pronunciat.

Obiectio tamen illa quæ summas vires includit, hæc est, Deus lege decreuit adulterium morte esse puniendum, pœna igitur diuortij non erat propter adulterium, sed alias ob causas, & vt voluerunt Pharisæi, κατὰ πᾶσαν αἰτίαν: si enim morte tollerentur diuortium cum adulterio nullam habere potuit societatem aut commercium.

Verùm respondeo has leges posse simul consistere, videmus enim Solonici, immunditiam quandã nominari cuius qui erant rei, morte erãt mulctãdi:

cap.15. *interficientur ambo de medio populi sui*; de eodem tamen peccato et immunditiâ 15. capite tantum dicitur, *immundus erit septem diebus.*

Ratiò autem cur illæ leges inter se diffidebant hæc fuit, nimirum quod is qui immunditiem illam contraxerat, aut accusabatur ab alio quod commisisset, aut non accusabatur, si accusaretur debuit occidi tam vir quam fæ-
cap.20. mina per legem, Leuitici 20. si non accusaretur ab aliquo, non dabatur internecioni, sed per septem dies remansit immundus.

Sed vt prefius agam, quamuis idem peccatum diuersis habitis rationibus diuersimodè puniatur, id quod os obstuat illi obiectioni, superiori præsertim adducto exemplo; vobis tamen ante oculos insuper ponam egregium quoddam et insigne discrimen, inter adulterium quod morte erat mulctandũ, et id quod diuortio castigandum, sicq; plane et apertè comunicam non potuisse omnem hominem, qui vxorem in adulterio de-

pre-

prehenderat, pænam mortis vrgere. Sed potuisse tantum libello repudij castigare.

Quod vt melius intelligatur cognoscatis velim tres esse in scripturis diuersas ac inter se repugnantes leges circa adulterium, quia tres casus siue gradus adulterij sæpius occurrunt.

Prima lex est cum peruasit et increbuit grauis aliqua & vehemẽs suspitio, vir tamen nihil firmiter probare potest, sed fertur impetu quodam et æstu zelotypiæ, propter leuitatem quandam et immodestiam vxoris: in hoc casu cõcedebatur ei lex purgationis, de qua Numerorum quinto: nuncupatur autem zelotypiæ lex, *vir cuius vxor errauerit*, &c. *et hoc maritus deprehendere non quiuerit, sed latet adulterium, & testibus redargui non potest, quia non est inuenta in stupro, si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspitione petita, adducet eam ad sacerdotem:* &c. Num. 5.

Alia vero est lex cum vir deprehenderit vxorem in culpa, et adulterium non latet eum, tamen testibus illud cõfirmare non potest, in hoc casu concedebatur diuortium per libellũ repudij, vt Deuteronomij, 24.

Tertia lex est cum vir deprehenderit vxorem in stupro, & potest id corã manifeste comprobare, in hoc casu concedebatur mors et lapidatio.

Has autem dissitos & discrepantes adulterij casus Hebræi ponunt; vnde liquidò constat legem illam quæ adulterio mortem decernit, nulla ratione huic nostræ opinioni quæ divortium adulterio solo statuit, contradicere aut obviare.

Prætereà non poterat maritus turò insimulare vxorem aduterij; quamvis oculatus fuerat testis illius stupri, nisi etiam poterat in lucem et medium afferre testes certos & fideles, quippe quod nisi essent probationes multum lucidæ, non condemnaretur vxor, & tamen vir deficiens in probatione, criminis &

male-

maleficij condemnaretur, quia *in criminalibus qui accusat debet se inscribere*, & non solum secundum leges humanas, sed diuinam etiam, criminaliter accusans, si in probatione deliquerit condemnatur, ut patet Deuteronomij, vicesimo secundo, quare cum viri non poterant satis firmiter & apertè testibus vxoris stuprum affirmare, aliquando impellebant vxores subire aleam & limam purgationis, aliquando autem dimittebant per libellum repudij.

Porrò hoc etiam suas habet vires in iure ciuili, vbi pro arbitrio suo (quantum ego assequor) liceat homini agere aliqua in culpa vel criminaliter vel ciuiliter: Nam cum vxor fornicatur, vir potest eam accusare de adulterio non criminaliter ad mortem, sed ciuiliter ad thori & cohabitationis separationē, et lucrabitur dotem, ut patet extra: de dot: post rest: per totum.

Iasenius vero in sua harmonia huic opinioni apprimè fauet, quòd scilicet licebat

bat Iudæis propter adulteriũ vxoribus libellũ repudij dare, et non eas legi tradere, trucidandas: nã super hæc verba Matthæi, *Ioseph vir eius cũ esset iustus, & nolles eam traducere voluit occulte dimittere eã*, sic ait capit. 7. Tanta videtur fuisse iustitia Ioseph, id est virtus, ut duo vellet, nempe et consulere sibi, ne cohabitando cum adulterâ, videretur fauere crimini, et consulere coniugi ne vituperaret eam, et pœnæ legis obnoxiam faceret, atq; ideo mediũ eligit, vt scilicet occultè dimitteret, qui modus dimittẽdi occultè fuit per libellum repudij, non per exilium, vt opinatur Tostatus, neq; enim inquit Ãsenius necesse erat ei pub licè dare eam, neq; causas repudij in eo recitare.

Iansh. har. cap. 7.

Quibus omnibus præfatis, sic argumento respõdemus, quòd quamvis vxor deprehensa in adulterio & testibus palàm evicta, deberet lege Mosaica trucidari, tamen si maritus, qui vel rectè cor ijcit, vel certò nouit id stuprum esse perpetratum, contenderet, id testibus de-

declarare, & minus valeret, aut valeret plenè, et tamē nollet, sibi quam optimè prospiceret, & consuleret saluti suæ, si daret ei libellum repudij & dimitteret, & sic superduceret aliam, nullo modo vel inculcando vel premendo illam legem, qua vxor morti adiudicabatur.

Hactenus quanta fieri potuit cum breuitate & perspicuitate confirmaui diuortium Iudæis tantum licere, & id extorquente adulterio permissum esse, cum autē in cōfesso sit ad Iudęos propter cordis duritiam spectasse solummodò, et etiam per aduentum Christi funditus extirpatum esse, necesse est vt matrimonium pristinas vires colligat, et ęque solida ac sincera virtute apud nos vigeat, ac apud parentes primos suâ in institutione floruit: sic autem efficitur, vt nō vinciat tantū nodo firmo & Gordiano, sed etiam ut individua vitæ societate coniūgat, adeò vt quamvis propter adulterium possimus vxores dimittere, nequaquam tamen valeamus ad secundas nuptias tanquam ad nouas

voluptates & delicias transire.

Quanta autem incommoda & quas tragædias secundæ nuptiæ in respub. inuehunt et important, quid opus est vt ipse vrgeam, cum eas omninò illicitas esse argumentis (vti mihi videtur) firmissimis prius demonstraui? veruntamen quanta incommoda secũdas nuptias sequuntur & quasi ancillantur, ex Augustino de adulterinis coniugijs discamus, et etiam ex ipsis eorũ iudicijs, qui eas licere quidem, minime tamẽ expedire censuerunt: cum tamen si probarem, id quod levi et nullo negotio præstare poteram, eas nunquam expedire Christianæ reipub. & nulli expedire Christiano homini, inde sane efficerem, eas nec licere verbo diuino nec approbari.

Jam verò si hoc parum, quod parum ornatè et minus forsan explicare dixero, verum et verbo diuino consonum videbitur, certè quidem, ecclesiam difficillima et subardua quæstione, respub. autem maximis malis liberabit: sin ve-

ro exile quiddam et ieiunum apud doctos habebitur, nihil tamen vim aut virtutem quæstionis infirmabit, eò quòd vnicum solummodò et fortasse inusitatum argumentum authoritati antiquorum, et ecclesiæ iudicio addidi: Quicquid verò vel in hac causa, vel in re alia quacunq; aliquando dixero, si in eo parum soliditatis, aut aliquid offensionis subesse videbitur, humiliter me iudicio huius christianissimæ Anglicanæ ecclesiæ subijcio: et si extiterit aliquis, qui vel priuatim vel publicè detexerit et deterserit errorem meum, cum quasi lumen prætulerit menti meæ, alacritèr quidem et expeditè errori meo valedicam, nec ad eum tanquam ad columnã diutius adhærescam.

FINIS.

QVÆSTIONES (CHRISTO propitio) in Vesperijs discutiendæ. *Iul.* 10. 1602.



Quæstiones Incæptoris KING.

An
- Hoc est Corpus meum, sit figurata locutio, *Aff.*
- Elementa transubstãtientur in Eucharistia, *Ne.*
- Sit vera participatio Corporis & Sanguinis Christi, *Aff.*

Quæstiones Incæptoris GOODWIN.

An
- Concupiscentia in renatis, peccatum est, *Aff.*
- Nemo potest in hac mortali vita perfectè legem Dei implere. *Aff.*
- Justitia nostra, quâ coram Deô iustificamur, imputativa est, *Aff.*

A Quæ-

Quæst. Inceptoris BRODSHAW.

An?
- Nemo iustificatur iustitia inhærenti. *Aff.*
- Christus solus implevit legem. *Aff.*
- Leges humanæ obligant conscientiam.

Quæstiones Inceptoris. SWADDON.

An?
- Sacræ Scripturæ authoritas pendeat ab Ecclesia. *Neg.*
- Ecclesia possit errare. *Aff.*
- Episcopatus in Ecclesia sit ab institutione diuina. *Aff.*

Quæstiones Inceptoris.
LANGFORDE.

An?
- Liceat facere Imaginem Dei? *Neg.*
- Imagines sint adorandæ? *Neg.*
- Sancti defuncti sint invocandi? *Neg.*

Quæ-

Quæstiones Incæptoris.

THOMSONI.

Quisquam esse possit simpliciter Atheos. *Neg.*

Fides sine cessaria ad finem suum assequendum. *Aff.*

Homo se possit ad fidem præparare sine gratia. *Neg.*

Quæstiones Incæptoris. THORNE.

Testamenti veteris libri Hebraicè conscripti soli sint Authentici. *Aff.*

Novi Græciq; Testamenti libri aliqui sint Apocryphi. *Neg.*

Scriptura veteris noviq; Testamenti Canonica omnia contineat ad salutem necessaria. *Aff.*

Quæstiones Inceptoris

HOWDEN.

An { Matrimonium sit Sacramentum, *Ne.*
Liceat causâ adulterij vxorem dimittere, *Aff.*
Vxore adulterâ dimissa liceat aliam superinducere, *Ne.*

Quæstiones Inceptoris.

RIVES.

An { Omnia peccata sint mortalia, nec tamen paria, *Aff.*
Liceat fugere in persequutione, *Aff.*
Omnia opera infidelium sint peccata, *Aff.*

Quæstio

Voluntas hominis ex ſua vi naturali liberè velle poteſt quodcunque ipſi appareat bonum? *Neg.*

An Voluntas hominis animalis ex ſuâ vi propriâ moveri non poteſt ad verum bonum, *Aff.*

Quòd voluntas verum bonum velit, totũ eſt à Regenerante Gratia, *Aff.*

Quæstiones Inceptoriæ.
NEWMAN.

Sacra Scriptura in linguas vernaculas licitè transferatur, *Aff.*

An In linguis vernaculis ſacra publica ſint peragenda. *Aff.*

Omnibus ſine diſcrimine permittenda ſit ſcripturarum lectio, *Aff.*

An. Sancti sint adorandi et inuocandi. *Neg.*

Sanctorum reliquiæ & Imagines sint colendæ. *Neg.*

Templa, festa, et peregrinationes in honorem Sanctorum fieri debeant. *Neg.*

Quæstiones Theologicæ discutiendæ in Comitijs (Deo propitio) Julij 12. 1602. *Resp Mro.* HOCKENS.

Oppo. D. King.
D. Goodwin.
D. Prodshawe.
D. Swaddon.
D. Langeford.
D. Tomson.
D. Thorne.
D. Howlon.
D. Riues.
D. Spenser.
D. Newman.
D. Williams.

An. Panis & Vinū in Cæna Domini non transubstantiantur in Corpus et Sanguinem Christi. *Aff.*

An. Missa papistica nullam habet authoritatem ex Sacra Scriptura. *Aff.*

An. Communio est administranda sub vtraq; specie omnibus fidelibus. *Aff.*

Quæst. in Iure Ciuili in Vesperijs discutiendæ respondente D. Hussey.

AN princeps priuilegium à predecessoribus suis concessum iure possit ex causa dissoluere? *Aff.*

Si pecunia vsui, in quē legata est, non sufficiat, an in alium possit cōuerti? *Aff.*

An aliquis possit sibi ius dicere? *Aff.*

Quæstiones D. Doctoris Budden in Iure Ciuili, in Vesperijs discutiendæ.

PRincipi non subditus, læsæ maiestatis Crimen in eum non admittit.

Delicta extra territorium Commissa sunt punienda.

Priuilegia paucis cõcessa, qui posteà in magnam excrescunt multitudinem, non sunt reuocanda.

Quæst. Oleueri Londrespo. in Vesperijs.

Vtrum

Liceat raptorem ob turelam rerum occidere? *Aff.*

Res ab hostibus recuperatę prioribus dominis sint restituendæ. *Aff.*

Cõductor re cõducta impeditus vti pẽsione libereturr? *Aff.*

Quæst. in Iure Ciuili discutiendæ in comitijs (Deo propitio) Resp. Th. Riues.

Vtrum ante septimum vel post decimum mensem natus sit legitimus? *Neg.*

Vtrum ad sponsalia implenda cogi quis possit? *Neg.*

Vtrum liceat seipsũ interficere? *Neg.*

QVÆSTIONES DO. &toris King.

Hoc eſt Corpus meum, eſt propoſitio figurata.

AVt tropus, aut ſcelus eſt; occidit Litera Chriſtū,
Nec caro nos Chriſti carnea prorſus alit.
Aut tropus, aut epulæ Lapitharum, et cœna Thyeſtis;
Inq; hominum ſeſe viſcera condit homo.
Aut tropus, aut artus fidei perière, nec illum
Quem capiet Cælum, ſi venit inde, capit.
Aut tropus, aut corpus nullum; ceſſare, moueri,
Stare, errare ſimul corporis eſſe putem?
Vnum erit et varium? finitum & fine carebit?
Vna ſuperficies an loca mille tenet?
Aut tropus, aut totidem, quot obibit ſacra ſacerdos,
Miſſa parit Chriſtos. et noua mater erit.
Aut tropus, aut Iudas comedit quod Petrus, et eſca
Non animæ et mentis ſed mihi ventris erit.
Nec rèfert referamnè aquilas an graeculus adſim,
Exacuam dentes inſtituamuè fidem.
Aut tropus, aut ratio, ſenſus, ſcriptura, vetuſtas,
Cuncta fefellerunt, Tu quoq, Chriſte Deus.

NON

Non est Transubstantiatio elementorum in Eucharistia.

QVi μεταμορφώσεις scripsisti Naso stupendas,
Lusisti ingenio Naso poeta tuo.
Seria res agitur · Christi monumenta novantur,
Inq; locum veri ficta Chimæra subit.
Nota elementa capit Christus, notisq; profatur
Vocibus, hoc Corpus, Sanguis & iste meus.
Ecce novatores Corpusq; ipsumq; cruorem
Panis, & in vini substituere locum.
Dixit, & est factum: potuit, voluisse fatendum est:
Quanquam multa minùs posse potentèi habet.
Panem dicit odor gustusq; & lumina dicunt;
Non, si gustus, odor lumina, panis erit.
Panem Christus ait, frangit, dat, monstrat, & inquit,
Hoc: non si iurent omnia, panis erit.
Quid tum panis erit? manes, res transit in vmbras,
Subiectum in formas, ens nihil entis habet.
Hoc, nempè hæ species, incertum, quodq; vagatur;
Quicquid id est aliquid, quicquid & est nihil est.
Monstra hominũ, qui non miracula, monstra creastis
Naturæ & fidei prodigiosa nimis.
Quiq; creaturas vos perdere posse putastis
Quiq; Creatorem condere posse ionis.
Panicus hic stupor est panem incarnare loquendo,
Impanare hominem, voce creare Deum.

Vera

Vera & realis est participatio Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia.

PAlmitibus sine vite suâ quæ vita? vel orba
Orbe sui capitis quid tua membra valent?
Christi ego sum capitis membrum vitisq; propago,
Aut mihi Christus adest, aut mihi vita deest.
Non editur, bibitur Christus? nec viuitur illo
Fæx mea terrenæ carnis alenda modo.
Non editur bibiturq; fide? nec viuitur illo
Ore opus et stomacho; qui modò credit, edit.
Nec caro nec carni prodest, et spiritus ejus
Dat vitam, & nostri spiritus indè trahit.
Quin mihi jungatur Christus, lis nulla mouetur,
Ast proprium signis corpus inesse nego.
Signa docent oculos, oculi cor, corde tenetur
Visa fidem faciunt, & mihi vita fides.